

delineationem systematis Theologiae moralis, quam eruditorum iudicio iam olim subiecera<sup>m</sup>, \*) cui quippe applauudebat amice, ipse ego opus adgrederer. At enim, alia, quae huic labori tempus concedere noluerunt, negotia ab eo suscipiendo me hucusque auocarunt. Nec retardationum harum aegre tuli caussas: quum ex Theologorum practicorum scriptis, recens editis, multa profecerim, quae in usus meos aliquando conuerti, atque operi, si Deus vitam viresque concesserit, a me perficiendo, commode inseruire, poterunt.

ILLVD quidem a pluribus, qui in Theologia morali emendanda atque amplificanda, recentiori potissimum aeuo, desudarunt, factum esse, non sine voluptate intellexi, ut a prolixa eorum, quae sibi iure vindicat Philosophia morum, repetitione abstinent, ex reuelatione potius iis, quae traderent, desumtis. Simultamen animaduerti, in me-

a 5

diis

vid. *Sammlung kleiner Schriften von wichtigen Wahrheiten aus dem gesammten Reiche der Wissenschaften; die zweite Sammlung.*